

contradictione (Act. 18, v. 18) de Paulo dici possit: QUI SIBI TOTONDERAT IN CENCHRIS CAPUT: HABEBAT ENIM VOTUM, nempe Nazaraeatus; cum tamen tali voto obligatis prohibitum fuerit tondere caput, sicut et vinum bibere? R. Duo erant genera nazaraeorum. Quidam enim perpetuo se obligabant voto, ita ut nunquam aut tonderent caput, aut vinum biberent, qualis erat Samson. Alii vero solum temporario se obligabant voto, quo expleto ipsis liberum erat communem cum aliis vitam agere, debebant tamen expleto hoc voto adire templum hierosolymitanum, tondere comam, Deoque sacrificia Num. cap. 6 statuta offerre. Tali ergo voto temporario se obstrinxit Paulus vel ante conversionem suam, quo tempore fideles insectari coepit, pro felici susceptae provinciae exitu, ut putat Gaspar Sanctius; vel probabilius post conversionem suam, ut iudaeos et iudaeo-christianos sibi quasi legalia mosaica contemnti offensos deliniret; uti censent Tiranus, Cornelius a Lap., alique. Quia autem tempus huic voto praescriptum finiebatur, cum s. Paulus procul esset a Palaestina, in Cenchrus prope Corinthum sibi capillos tondit, antequam navem conscenderet, in hierosolymitano templo absoluturus quidquid ad votum suum pertinebat, et sua sacrificia oblaturus. Caeterum denuo hic observandum, quod s. Paulus hoc votum emittendo et implendo non peccaverit, quia legalia mosaica tunc adhuc erant licita.

SCHOLION. Lex mosaica fuit mortua, seu coepit abrogari, et desiit esse necessaria in die pentecostes, quo lex nova seu evangelica coepit obli-

(1) In Theol. dogmat. speculat. tract. 5 de legibus, etc. n. 110 et 125.

(2) Réponses critiques, tom. 1, n. 69.

(3) Textus graecus loc. cit. cum nostra

gare: quo autem determinato tempore lex illa vetus facta sit mortifera, est incertum: communiter tamen dicunt, coepisse mortiferam esse quadragesimo circiter anno a Christi morte, id est circa tempus excidii Ierosolymae sub Tito et Vespasiano. Vide cl. Joseph Monschein (1), aut alios theologos hac de re agentes.

14. QUÆRES XIII. An auctor de la philosophie de l'histoire recte dicat, a s. Paulo (Actor. 17, v. 28) Aratum poëtam ethnicum vocari prophetam? Antequam respondeam, observo, teste cl. Bullet (2), memoratum auctorem temere, et absque ullo fundamento asserere, quod s. Paulus loc. citat. Aratum poëtam fecerit prophetam, dicens: In ipso enim (nempe in Deo) vivimus, et movemur, et sumus: sicut et quidam vestrorum poëtarum dixerunt: ipsius enim et genus sumus. Ubi notandum, quod Aratus antiquus et celebris poëta, patria Solensis, non longe a Tarso, ac proinde Pauli pene concivis, cum in suis versibus dixisset, a Iove principium omnium, et omnia Iovis plena esse etc., subdit verba illa a Paulo hic citata: Ipsius enim et genus sumus.

Verum falsissimum est, quod Paulus hunc poëtam appellet aut asserat, fuisse prophetam. Nam tam in vulgata nostra latina, quam in textu graeco (3) loc. cit. solum dicitur quidam vestrorum poëtarum, non autem: quidam vestrorum prophetarum.

NEQUE OPPONAS alium quemdam auctorem, qui adversarii, contra quem hic agimus, errorem ex eo tueri conatus est, quia s. Paulus alibi (4) Epimenidem, qui pariter

vulgata latina consentit, his verbis: *ὡς καὶ τινὲς τῶν κατ' ἡμᾶς ποιητῶν εἶρηκται*, hoc est, sicut et quidam vestrorum poëtarum dixerunt, etc. (4) Ad Titum, c. 1, v. 12.

ethnicus poëta erat, expresse appellat prophetam, ne, inquam, hoc dicas; nam ibidem ex ipsis verbis s. Pauli patet, quod non ex mente sua, sed secundum opinionem cretensium, quam de suo populari habebant, loquatur. Textus enim obiectus ita sonat: Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: cretenses semper mendaces etc. Sic christianus, si de turcis loquens, diceret: « Muhammedes proprius ipsorum propheta hoc docet, » ideo nequaquam crederet, nec assereret Muhammedem esse verum prophetam.

SCHOLION. Iuvat hic addere verba Menochii, qui de hoc ultimo loco Scripturae (nempe ad Titum cap. 1, v. 12) ita ait: Vocat (apostolus) Epimenidem PROPHETAM, vel quia a suis habitus est propheta, teste Laërtio; vel quia omnes poëtae vates appellantur; vel quia scripsit librum de Oraculis; vel tandem propheta dicitur, quia scripsit vitia naturalia gentis suae, quod perinde est ac posteriorum vitia praedicere, quia vitia nativa parentum fere in posteris derivantur. »

15. QUÆRES XIV. Quomodo illud (Actor. 19, v. 9 et 10): SEGREGAVIT (Paulus) DISCIPULOS, QUOTIDIE DISPUTANS IN SCHOLA TYRANNI CUIUSDAM. HOC AUTEM FACTUM EST PER BIENNIUM, conciliari possit cum alio Scripturae loco (Actor. 20, v. 31) ubi innuitur, id factum esse per TRIENNIUM? Dein quid Paulo cum tyranno? Quid tyranno cum schola? R. Dicitur Paulus disputasse in schola, hoc est, in aula, porticu vel loco honestiore, in quod otii, seu quietis causa secedi solebat. Nam σχολή seu schola, teste Brissonio (1) derivatur a σχολάζω id est otior, quiesco; eo quod literae

(1) L. 17 de verbor. significat.

(2) Vide Cornelium a Lap. comment. in Actor. c. 19, v. 10.

otium poscant et quidem, cum studiosi et scholares, caeteris rebus omissis, toti debeant vacare liberalibus studiis. Porro, quod attinet illa sacri textus verba addita: Tyranni cuiusdam, non una est omnium expositio. Arias et Mariana volunt, hoc esse nomen proprium viri cuiusdam ephesini, quibus faveat textus syrus, qui ita habet: in schola viri cuiusdam nomine Tyrannus. Sed alii vocem Tyranni ut appellativum accipiunt pro principe, primite vel ex sanguine regio oriundo. Vox enim haec primitus regibus, dein iis, qui potestate regia pollebant, denique illis, qui hac potestate abutentes, in populum saeviebant, attribuebatur. Videtur autem Paulus domum talis principis delegisse, ut eiusdem potentia et auctoritate contra iudaeorum audaciam se suosque tueretur. Haesit hic apostolus toto biennio, cui si adiungas trimestre v. 8, reperies triennium incomplete (2). Unde Paulus (3) cum veritate ad maiores natu ecclesiae ephesinae dicere potuit: Quoniam per triennium (id est, in tertium annum, seu per triennium incomplete) nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum. Eadem de causa Baronius recte docet, ephesinam ecclesiam primitus non a s. Ioanne evang., sed a s. Paulo fundatam esse.

16. QUÆRES XV. An ex iis, quae (Act. 19, v. 24, et seq.) narrantur, increduli merito concludant, Paulum et apostolos ex humano timore idololatriae non restitisse? Antequam respondeam, observo, iudaeum Isaac Orobio (4) asserere, Paulum loc. cit. ex humano timore non fuisse ausum cultui imaginum

(5) Actor. c. 20, v. 31.

(4) Apud Phil. van Limborch in amica collatione cum erudito iudaeo, p. 154.

falsorum Deorum sese opponere. Et comes de *Shaftesbury* (1) innuit, *Paulum* eiusque socios saltem contentos fuisse seu acquiescisse iis, quae scriba ethnicus de cultu *Dianae* a *Paulo*, eiusque comitibus nullis blasphemis inhonorato loc. cit. dixerat. Verum si factum *Pauli* et sociorum eius, quod ibidem narratur, rite expendatur, nulla inde idololatriae approbatio, aut pusillanimitas, damnabilisque neglectus defendendi causam verae religionis evinci poterit. Excitavit nimirum *Demetrius* argentarius gravem seditionem adversus *Paulum*, eum incusans, quod homines avertat a cultu Deorum cum periculo, ne hac ratione etiam cultus *Dianae* ephesinae et eius templi intreat. Ad sedandum autem hunc tumultum quidam scriba (2) ad turbas dixit (3): « Viri ephesii, quis enim est hominum, qui nescit ephesiorum civitatem cultricem esse magnae *Dianae*, Iovisque prolis? cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse... Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes Deam vestram. » Ex his tamen ultimis scribae verbis inferri nequit, *Paulum* non fuisse ausum *Dianae* aut aliorum falsorum Deorum imagines et idola impugnare. Contrarium enim satis clare indicant ipsius *Demetrii* verba (4) ad opifices, quos convocavit, dicentis: « Videtis et auditis, quia

(1) Karakteristics, vol. 3, p. 86.

(2) Scriba hic fuit secretarius civitatis, vel consiliarius magistratus. Unde graece vocatur γραμματεὺς, *Legis Doctor*, qui iura civitatis callet et tuetur, ac in iis magistratum informat et dirigit. Textus syriacus vertit princeps civitatis. Ceterum quamvis is fuerit homo gentilis, ut ex contextu facile colligitur, *Paulo* tamen favebat, eique fuit amicus et benefolus: ut *Cornelius a Lapide*, comment. in Act. c. 19, v. 33, recte observat.

non solum *Ephesi*, sed pene totius *Asiae*, *Paulus* hic suadens avertit multam turbam, dicens: quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt. Sic autem magnae *Dianae* templum in nihilum reputabitur, sed et destrui incipiet maiestas eius, quam tota *Asia* et orbis colit. »

Itaque cum s. *Chrysostomo* (5), *Cornelio a Lap.* (6), aliisque interpretibus dico, scribam illum, quando ad tumultuantes ephesios dixit, *Paulum* eiusque comites non blasphemasse *Dianam* ephesiorum deam, fuisse officiose mentitum ad sedandum tumultum. *Paulus* enim, ut ex modo citatis verbis *Demetrii* argentarii haud obscure colligitur, docuit, *Dianam* non esse deam, sed idolum inane et fictum; quod apud ephesios erat insignis blasphemiam. Hoc tamen *Cornelius a Lap.* loc. cit. observat et admittit, quod s. *Paulus* non eo sensu *Dianam* blasphemaverit, quasi eam conviciis et maledictis prosciderit, sed pro insigni modestia sua nudam veritatem, quod illa non sit dea, dixerit, et detexerit, sine additis aliis in falsum illud numen maledictis, quibus ephesiorum animos potius exacerbasset, quam ad amplectendam *Christi* fidem disposuisset.

DICES: Hoc ipso, quod *Paulus*, sedato tumultu, non perrexit idolorum, et praesertim *Dianae* cultum publice impugnare et detestari, sed *Epheso* discessit, et profectus est, ut iret in *Macedoniam* (7), censen-

(5) Act. c. 19, v. 33, et seqq.

(6) Ibid. v. 26 et 27.

(7) Homil. 42 in Acta Apost., ubi post citata illa verba Act. c. 19, v. 37: *Adduxisti enim homines istos... neque blasphemantes Deam vestram*, s. Pater subdit. *Hoc igitur totum mendacium est. Ista autem ad populum sedandum (Scriba) dicebat.*

(8) Comment. in Act. c. 19, v. 37.

(9) Act. c. 20, v. 4.

mus est, id ex timore humano fecisse, nec ausum esse, Dei causam contra idololatrias ephesios defendere: ergo manet argumentum. R. Neg. ant. et dico, *Paulum* non ex timore humano, sed sapienter omnino cessasse furori *Demetrii* et argentariorum, ne in christianos omnes insurgerent, eosque mactarent; se vero aliis provinciis ac laboribus apostolicis hac ratione reservavit; ferme sicut s. *Athanasius* sciens se unum quaeri ab arianis, ac in suo capite verti rem christianam de *homousio*, prudenter ubique fuga se subdaxit, vitamque pene omnem in exilio et latebris egit: ac fugiendo, hostium furorem fregit et superavit. Et numquid *Christus* ipse (1), cum vellent eum de monte praecipitare, transiit per medium illorum? Numquid ad apostolos suos (2) ait: « Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris? » Ceterum, quod s. *Paulus* non ex humano timore, *Epheso* discesserit, aut ex pusillanimitate causam Dei prodiderit, satis inde liquet, quia exorto *Ephesi* memorato tumultu, voluit intrare in populum, hoc est, in populi furentis turbam, eam nimirum vel sedaturus, vel pro *Christo* occubiturus. Sed non permiserunt discipuli. Quidam autem et de *Asiae* principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes, ne se daret in theatrum. Atque hoc consilium sapienter omnino et laudabiliter secutus est *Paulus*; prout recte observat s. *Chrysostomus* (3). Postquam enim intrepidam apostoli animi magnitudinem in exequendo

(1) Luc. c. 4, v. 30.

(2) Matth. c. 10, v. 14.

(3) Tom. 3 operum s. *Chrysostomi*, homil. 7 de laudibus s. *Pauli*.

munere suo apostolico praeclaris laudibus extulit, subdit haec verba: « Hoc vero maiore quoque admiratione dignum est, quod cum (apostolus gentium) tam esset audax, ac velut ad pugnam semper accinctus et ignem quemdam belli conspirans; ita rursus placabilem se praebebat magistris, ut nunquam in eo, vel in tanto illo impetu alacritatis offenderet. Itaque... suaserunt, ne in theatrum ingrederetur, et cessit. » Porro hac de re etiam videri possunt *Lorinus* (4) et *Cornelius a Lap.* (5).

17. QUÆRES XVI. Quomodo illud *Pauli* effatum (Act. 20, v. 22): ALLIGATUS SPIRITU (id est, a Spiritu s. impulsus) VADO IN IERUSALEM, conciliari possit cum illis verbis (Act. 24, v. 4): DISCIPULI PER SPIRITUM DICEBANT PAULO, NE ASCENDERET HIERSOLYMAM. Quomodo ista explicari possunt, quin admitatur, Spiritum s. sibimet ipsi contradixisse? R. Haud difficulter hi duo textus explicari, et inter se conciliari possunt. Nam sensus secundi textus non est, quod discipuli ex impulsu Spiritus s. dissuaserint *Paulo* ascensum *Hiersolymam*; sed quod ex illustratione Spiritus s. agnoscentes, quod si *Paulus* *Ierosolymam* ascenderet, ibi persecutiones sustineret, eidem compassi fuerint, et ex compassione humana ascensum hunc dissuaserint. Interdum enim propheta praevidet quidem vera, sed fallitur in eo, quod inde deducit. Distinguenda ergo sunt ea, quae per discipulos illos Spiritus s. dicebat, ab illis, quae ipsi spiritu suo humano asserebant. Ita hunc locum explicant *Lorinus*, *Calmet*, et alii.

18. QUÆRES XVII. Quis sit ille evangelista, *Philippus* nomine, de

(4) Comment. in Act. c. 16, v. 30 et 31.

(5) Comment. in Act. c. 19, v. 30.

quo (Actor. 21, v. 8) dicitur: ET INTRANTES DOMUM PHILIPPI EVANGELISTAE, QUI ERAT UNUS DE SEPTEM, MANSIMUS APUD EUM; aut num iste sit quintus evangelista? R. Philippus iste erat unus de septem diaconis primis, et obtinuit nomen evangelistae, non quod evangelium scripserit, sicut fecerunt Matthaeus, Marcus, Lucas et Ioannes, sed quod illud primus in Samaria (1) praedicaverit. Sic etiam s. Paulus (2), hortatur Timotheum, ut evangelistae munere fungatur, dicens: « Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple. »

19. QUÆRES XVIII. An apud romanos TRIBUNUS COHORTIS, prout (Actor. 21, v. 31) legitur, datus fuerit? R. Affirmative. Quamvis enim, teste cl. Bullet loc. cit. n. 70, id negare audeat auctor des questions sur l'encyclopédie P. V. p. 67; tamen valde mirandum est, quod homines, qui pro doctis haberi volunt, ignorent, quod in libris, qui omnium manibus teruntur, clare asseritur, scilicet apud romanos tribunos cohortium extitisse. Facile profecto memoratus auctor id rescire potuisset ex ipso Calepini dictionario, vocabulo Tribunus, ubi ita legitur: Tribuni cohortium (erant), quos Caesar, lib. 2 de bello civili, paulo ante vocat tribunos militum. Porro verba Iulii Caesaris loc. cit. c. 20, sunt haec: Litterae a Gadibus redduntur (nuntiantes), consensisse gaditanos principes cum tribunis cohortium, quae essent ibi (Gadibus), in praesidio,

(1) Actor. c. 8, v. 4 et 5.

(2) II. Ad Timoth. c. 4, v. 5.

(3) Teste cl. Weissenbach loc. cit. q. 7, inter hos incredulos etiam est Eques de Bolyngbroke, qui ait, se fidenter asseverare, mentitum Paulum, cum civem romanum se esse dixit. At nequaquam evincit, quod fidenter asseverat.

ut Gallonium ex oppido expellent, urbem insulamque Caesari servarent.

20. QUÆRES XIX. An hostes christianae religionis merito s. Paulum mendacii arguant, quod (Actor. 22, v. 25) se civem romanum esse dixerit? R. Negative. Antequam autem s. Paulum ab hac calumnia vindicem, et eum dixisse verum, ostendam, observo, incredulos (3) hinc in modum arguari. Paulus ipsemet fatetur (4), se esse natum in Tarso Ciliciae; sed haec civitas non nisi centum post Paulum annis romana colonia (5) facta est; prout ex omni antiquitate constat. Quomodo igitur Paulus iam potuit esse civis romanus? Dein Hieronymus (6) ait, Paulum ex parvo oppidulo Gischale, quod in Galilaea situm erat, ortum esse; galilaei vero certissime non erant romani. Sed CONTRA EST I. Si Paulus non fuisset romanus civis, tot adversarii, iique potentes, et maxime tribunus (7) eum minime velut talem tractassent. II. Si Paulus se civem romanum esse falso dixisset, numquid illi iudaei, qui erant eius hostes infensissimi, eum falsitatis arguere, aut illam detegere, omni studio haud allaborassent? III. Falsum est, ex omni antiquitate constare, Tarsum tam sero privilegium et ius civitatis romanae obtinuisse. Teste enim Dione Cassio (8) Iulius Caesar tarsenses in civem romanos adoptavit, quia ii huius imperatoris partes strenue secuti sunt, eorumque civitati etiam nomen Iuliopolis (a Iulio Caesare derivatum) ideo impositum est.

(4) Actor. c. 22, v. 5.

(5) Vide Calmetum comment. in Actor. cap. 16, v. 57, et c. 22, v. 28.

(6) L. de scriptoribus ecclesiasticis, Paulus.

(7) Vide Actor. c. 22, v. 26, et seqq.

(8) L. 47, p. 542. Vide et Appian, civ. 5.

Alii cum Calmeto (1) censent, civitatis romanae ius non ad omnes tarsenses, sed tantum ad quosdam privatos pertinuisse, inter quos etiam erat s. Pauli pater. Paulus igitur fuit civis romanus, et Tarso in Cilicia oriundus; non vero natus in oppido Gischale, et postea Tarsum translatus. Quamvis enim s. Hieronymus in lib. de scriptoribus ecclesiasticis hanc opinionem secutus sit, eandem tamen in fine commentarii epist. ad Philemonem videtur retractasse, vel saltem non ut certam, et absolute suam, sed solum ut aliorum sententiam referre, dicens: « Aiunt, parentes apostoli Pauli de Gischali regione fuisse Iudaeae, et eos, cum tota provincia, romana vastaretur manu, et dispergerentur in orbem iudaei, in Tarsum urbem Ciliciae fuisse translatos. » Plura de praesenti quaestione tota vide apud cl. Bullet (2).

21. QUÆRES XX. Quomodo refutandi increduli, dum d. Paulum alterius cuiusdam mendacii incusant, quia (Act. 23, v. 5) dixit: NESCEBAM ... QUIA PRINCEPS EST SACERDOTUM, is nempe, cui apostolus in faciem maledixerat? Antequam respondeam, iuvat prius ipsa verba sacri textus hac de re proferre. Itaque cum Tribunus iussisset, sacerdotes convenire et omne concilium, et producens Paulum, statuisset inter illos, intendens - in concilium Paulus ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernam diem. Princeps autem sacerdotum Ananias praecepit astantibus sibi percutere os eius. Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate... Et qui astabant, dixerunt: Summum Sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus; Nesciebam, fra-

(1) Loc. cit.

(2) Loc. cit. n. 72.

tres, quia princeps est sacerdotum. Iam ex his Pauli verbis hostes christianae religionis (3) s. Paulum mendacii accusant. Potuitne, inquit, summus sacerdos homini Ierosolymis enutrito fuisse incognitus? an non ille et eminentiore dignitatis gradu, et ipso vestitu ab aliis sacerdotibus, omnibusque concilii membris distinguebatur?

Sed imprimis observo, quod, si impossibile fuisset, personam summi sacerdotis cuiquam esse incognitam, certe Paulus dicens, se eandem praesentem non agnovisse, cum summo contemptu et irrisione fuisset ab omnibus tanquam mendax reiectus, et obmutescere iussus. At contrarium contigit; nam in Actis apost. loc. cit. non legimus, illam Pauli excusationem a concilio fuisse reiectam aut refutatam, sed potius Paulus ulterius (4) profari permissus est.

Iam vero positive ostendemus, non modo non impossibile fuisse, sed facile fieri potuisse, ut Paulus summi sacerdotis, contra quem dictum illud protulit, personam non agnosceret. Nam quid mirum, quod Paulus, qui ab annis viginti vel ultra nunquam nisi paucorum dierum spatio Hierosolymis moram traxerat, quin a triennio, vel forte quadriennio hac urbe penitus abfuerat, ac denique non nisi ante septem vel octo dies eo pervenerat, quid inquam, his omnibus perpensis, mirum est, quod Paulus ignoraverit, quisnam tunc summum sacerdotium gereret, aut etiamsi huius nomen audierit, tamen eiusdem personam non noverit, praesertim quia iam diu ordo successionis inter summos pontifices cessarat, nec pontificatus diuturnitas certa amplius erat, et ad status leges directa? Atque hunc

(3) Ita testatur cl. Bullet, loc. cit. n. 71.

(4) Vide Actor. c. 25, v. 6.

modum solvendi obiectam difficultatem, seu praesentem quaestionem *Calmetus* (1) appellat *opinionem communiorem et aequiorem*, ac pro ea citat s. *Chryst.*, *Lyran.*, *Caietanum*, *Sanctium*, *Cornelium*, *Menchium*, et alios.

22. **QUAERES XXI.** *Quomodo illud* (Actor. 25, v. 13): *AGRIPPA REX ET BERNICE DESCENDERUNT CAESAREAM AD SALUTANDUM FESTUM, cum veritate consentiat; cum pridem antea* (Actor. 12, v. 23) *Herodes* (Agrippa) *rex percussus fuerit ab angelo, et CONSUMPTUS A VERMIBUS, expiraverit?* R. Agrippa, de quo in primo textu sermo est, non fuit senior ille, qui ab angelo percussus interiit, sed eius filius, *Drusillae* et *Bernices*, frater. *Agrippa* enim senior habuit duos filios, *Dru-*

sum et *Agrippam* iuniorem: ac tres filias, *Drusillam*, *Bernicem* et *Mariannem*, teste *Iosepho Iud.* (2). Vide *Cornelium a Lap.* (3).

23. **QUAERES XXII.** *Quomodo intelligendum sit illud, quod Paulus* (Actor. 27, v. 33) *ad eos qui erant in navi metu consternatos ait: QUARTADECIMA DIE HODIE EXPECTANTES IEIUNI PERMANETIS, NIHIL ACCIPIENTES. An possibile, ut quatuordecim diebus nullum cibum sumpserint?* R. Hae voces: *nilhil accipientes* intelligendae sunt, non quod nihil omnino comedissent, sed quod perparum et obiter, et quasi nihil: vel *nilhil* per modum iusti prandii aut caenae, sed carptim libantes potius, quam comedentes. Ita *Lorinus*, aliique probati interpretes.

SECTIO II.

DE EPISTOLIS S. PAULI

Ad Chronologicum ordinem epistolarum s. *Pauli* dignoscendum, opus est nosse gesta, aerumnas et itinera huius apostoli, quae praeter alios erudite recensent *Natalis ALEX.* (4), *Calmetus* (5), *Goldhagen* (6), quorum ultimam sequentem tabulam chronologicam epistolarum s. *Pauli* exhibet.

ANNO AERAE
CHRISTIANAE

TABULA CHRONOLOGICA EPISTOLARUM S. PAULI

52	I. ad Thessalonicenses	scripta Corinthi
53	II. ad Thessalonicenses	» Corinthi
53	ad Galatas	» Ephesi
56	I. ad Corinthios	» Ephesi
57	II. ad Corinthios	» in Maced.

(1) Comment. in Actor. c. 25, v. 3.

(2) Lib. 18 Antiq. c. 7.

(3) Comment. in Actor. c. 12, v. 1, c. 25, v. 15.

57	ad Romanos	scripta Corinthi
61	ad Philemonem	» Romae
62	ad Philippenses	» Romae
62	ad Colossenses	» Romae
63	ad Ephesios	» Romae
63	ad Hebraeos	» Romae
64	I. ad Timotheum	» in Maced
64	ad Titum	» Nicopoli
65	II. ad Timotheum	» Romae

Ex hac tabula patet, quod quatuordecim epistolae s. *Pauli* quas ecclesia ut canonicas recepit, in bibliis non sint positae secundum ordinem temporis, quo fuerunt scriptae; sed potius habita sit ratio tum eorum, ad quos scriptae sunt, tum argumenti, in quo versantur. Fatendum tamen, quod interpretes non conveniant in assignando harum e-

(4) Tom. 3, saecul. 1, c. 7 et 8.

(5) Praefat. in epist. ad Romanos.

(6) P. 5. introduct. in sacr. Script. n. 129.

epistolarum ordine quoad tempus et locum scriptionis; ut patebit legenti proœmia *Cornelii a Lapide*, *Calmeti*, *Tirini*, aliorumque in epistolas Paulinas; illud tamen certum, quod omnes hae epistolae idiomate graeco scriptae sint, excepta epistola ad hebraeos, quae hebraice, seu lingua hebraeis tunc usitata scripta est, et epistola ad romanos, quam *Salmeron* et *Harduinus* contra plures alios putant scriptam esse latine. Porro subscriptiones, quae in codice graeco Paulinis epistolis subiiciuntur, (ex. gr. epistolae ad romanos haec subscriptio: ἐγγράφιον ἀπὸ Κορίνθου) serius creduntur adiectae fuisse, non ab ipso *Paulo*, unde nec in vulgata latina leguntur, nec authentia valent.

CAPUT I.

De epistola s. *Pauli* ad Romanos.

In hac epistola discutitur quaestio operum legis et gratiae, an videlicet iudaeis solis propter merita operum legis data sit iustitia et salus, an vero omnibus omnino nationibus a Deo concessum sit, ut per fidem in Christum et gratiam eiusdem iustificentur. Hac enim de re iudaei cum gentibus contendebant, gentibus philosophiam, et virtutes morales iactantibus pro sua iustitia: iudaeis vero venditantibus opera legis, et quod essent posterius Abrahamae, quibus promissus erat Messias et salus, ita ut, si ea potiri vellent gentes, deberent circumcidi, et fieri iudaei proselyti. Utrosque refellit in hac epistola *Paulus*, ostendens, quod iudaei contra legem *Moyseis*, gentes contra legem naturae gravissime peccarint, et utrique indiguerint redemptore, ac utrisque promissus sit Messias, cuius fi-

(1) In libro, quem inscripsit *Bélisaire*, c. 15.

de et gratia iustificentur, et sic aeternam salutem consequantur.

24. **QUAERES I.** *An ex illis verbis* (Ep. ad Rom. 1, v. 21): *CUM COGNOVISSENT DEUM, NON SICUT DEUM GLORIFICAVERUNT, etc.*, aut aliunde probari possit, quod ethnici philosophi vel alii gentiles, ductu solius rationis naturalis, absque religione revelata ad aeternam salutem pervenire possint? R. negative. Quamvis enim hodierni religionis christianae hostes cum *Voltairio* et *Marmontelio* (1) fidenter affirmant, homines absque religione revelata salvari posse, ideoque *Socratem*, *Aristidem*, *Zoroastrum*, *Catonem*, *Traianum*, *Iulianum* apostatam, etc. hoc est, paganos, aut christianorum persecutores sanctorum fastis adscribere non vereantur; oppositum tamen, scilicet nec philosophos gentiles, nec ullum mortalium per solam religionem naturalem, sine fide supernaturali, hoc est, sine supernaturalium quarundam veritatum doctrina divinitus patefacta et credita, aeternam salutem consequi unquam potuisse aut posse, sequentibus argumentis ostenditur.

I. *Sine fide impossibile est placere Deo*, ut s. *Paulus* (2) ait: loquitur autem apostolus de fide supernaturali veritatum supernaturalium, ut patet ex definitione fidei, quam ibidem (3) praemittit, dicens: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, et ex ratione, quam (4) adiicit his verbis: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*, nempe dando beatitudinem supernaturalem consistentem in bonis non apparentibus, omnem humanam rationem excedentibus, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, etc. (5).

(2) Ad Hebraeos c. 11, v. 6. (5) V. 1.

(4) Ibid. v. 6. (5) 1. Cor. c. 2, v. 9.